

Appendix. — Europa Nro. 27.

## Regnum Mortuorum.

Sermones Politici Mortuorum.

In Elisio 18. Martii 1808.

Feu M. Baumgarten, professeur a Francfort sur l'Oder est le premier, qui ait hasardé de creer sur des principes philosophiques la science generale de beaux arts, a laquelle il a donné le nom d'esthétique.

*Encyclopedie*

*Personae loquentes.*

Franciscus Kleist. — Antonius Kahn.

*Kahn.* An non locutus es, mi Domine Kleist! cum novis advenis? profecto, homines isti videntur mihi mente turbati, aut sicut unus scribefax Coloniae dicit, aesthetice stulti.

*Kleist.* Qui hoc intelligam? Chare Kahn!

*Kahn.* Paucis ante diebus advenerant tres aut quatuor tales exsiccati Aesthetici. Ipse Charon, dum eos exposuit, subrisit; hic vobis adfero, dicebat, tres singulares stultos; omnia eis adeo pulchra, adeo grata, et adeo aesthetica videbantur, ut me ipsum propemodum inaesthetisassent. Dic mihi, chare Kleist! quid proprie sit decantata illa aesthetica?

*Kleist.* Est doctrina tradens principia, et regulas boni gustus.

*Kahn.* Non concipio: Unus horum trium narrabat, in convivio aesthetico se adeo aesthetice comedisse, ut eum indigestio antiaesthetica in regnum mortuorum expediverit. Alter asserit, super cranio suo crevisse tuber, quod juxta Gallii doctrinam multa ei incommoda fecisset; erat protuberantia aesthetices; cum hac agebat se aesthetice obsequitasse, et ab equo, qui aestheticam non didicit, dejectum esse, et juxta regulas boni gustus, collo fracto, exspirasse. Tertius declamabat de aesthetica honoris, qui eum ad duelum cum altero, qui aequae aesthetice irritabilis erat, deduxisset, et secundum aestheticas Gladiationis regulas accepto vulnere periisset. Haec posterior narratio multum solatii mihi tulit, cum intelligerem, etiam artem gladiatoriam ad aestheticam pertinere.

*Kleist.* Sed quomodo? Ars gladiatoria — et Aesthetica!

*Kahn.* Quid? An ars gladiatoria non est una ex maxime necessariis pro conservanda vita? Hoc tibi aesthetice probabo.

*Kleist.* Hoc equidem audire percipio.

*Kahn.* Audi: Conservatio vitae est ars omnium artium maxime necessaria; atqui ars gladiatoria est ars vitam in duello conservandi, ergo ars gladiatoria est ars omnium artium in orbe maxima, et maxime necessaria.

*Kleist.* Syllogismus in optima forma!

*Kahn.* Medica quidem est ars celebris, ut quis secundum regulas artis moriatur, seu aesthetice de mundo hoc migrandi. Ita est cum arte gladiatoria, quae docet modum, ictum adversarii retundendi, et illi secundum regulas artis ictum inferendi.

*Kleist.* An haec serio, Domine Patriota?

*Kahn.* Et joco, et serio, scire cuperem, quid aesthetica sit?

*Kleist.* Habeto; Vox *aesthetica* venit ex voce graeca *Aisthesis*, quod sensum significat; aesthetica itaque est theoria amaenorum scientiarum, et artium, seu est scientia, quae tam principia generalia, quam et regulas elegantiorum scientiarum et artium, ex natura boni gustus, et sensus deducit.

*Kahn.* Mea aetate parum de aesthetica auditum; quis eam invenit.

*Kleist.* Alexander *Baumgarten*, unus ex acutissimis Philosophis germanicis, qui prius tentavit A. 1750 et 1758. lingua latina edito opere, aestheticam scientiarum et bonarum artium forma scientifica pertractare, eique nomen, quod gerit, indere. Partem theoreticam aesthetices in 3. subalternas divisit sectiones, nempe *Heuristicam*, quae de inventionem; *Methodologiam*, quae de coordinatione; et *Semioticam*, quae de designatione, seu de expressione pueri tractat; quarum ille ipse duntaxat primam, nempe *Heuristicam* consumavit; reliquis autem duabus, prout nec parti practicae, praematura morte praeventus, nec manum admovere potuit.

*Kahn.* Gratulor, fuisse Germanum Inventorem Aestheticae.

*Kleist.* Scientia quidem nomine, et forma est nova, non vero quoad praecipua materialia. Nomen habet *Baumgarten*; sed tamen non est ille unicus, qui artes elegantiores, et scientias conjunxit, et communem theoriam formavit. Hoc idem fecit in Gallia *Batteux*, et *Home* in Anglia in suo Tractatu de theoria, qui aestheticam tradidit, quin Authorem germanicum vel de nomine novisset; licet ambo hi haud tam scientificè cogitent; habent tamen

varias observationes, et majorem cognitionem artium elegantiorum, et meliorem gustum, quam ille Germanus, cui occasio defuit, id, quod pulchrum est, videndi. Observatio illa jam est antiqua; dari analogiam inter varias artes. Cicero, Horatius, Quintilianus et alii veteres jam fecerant tales observationes. Ita sunt in Poesi, et in Rhetorica Aristotelis, et in scriptis oratoriis Ciceronis, ac alia singularia materialia aesthetices elaborata. Interim Aesthetica hodie suos habet inimicos, forte, quia regulae ipsis non placent, et opera eorum, ad has regulas exacta, probam non continent; et ideo artem hanc per id deprimere volunt, quod omne ingenium excellens regulas non patitur. Naturale est, convenire, ut apud quemquam, cujus gustus perfici debet, ab regulis incipiatur; hac enim ratione ingenium citius excitatur, et non abripitur evagationibus phantasiae, qui casus apud plerosque est. Quod moderna sublimaria ingenia vocem *aesthetica* ad populares ideas per abusum adplicent, id evagationibus effraenati ingenii adscribendum; ita dicebat unus talium aestheticorum, qui medicinam sumperat, quae eum aesthetice purgabat.

*Kahn*. Ita posset etiam dici; nunc praeparari bellum aestheticum

*Kleist*. Adhuc est spes, eruptionem belli praeventendi, nam scribitur Stralsunda; Adjutantem Regis Sveciae Sup. Vig. Praefectum *Dannfeldt* 28. Febr. cum Litteris Regis sui Parisios profectum fuisse; ex quo spes tractatum asfulget. Inter haec causa novae nobilitatis in Gallia occupat publicam opinionem (Lege Europae Nro. 26.)

#### *Biographia.*

*Kahn Anton Frid*. Magister palaestrae ad Universitatem Helmstadiensem, natus Echtae in Hannovera 1713. Edidit opus magnificum, quod continet principia artis gladiatoriae, cum imaginibus, aeri incis, quod Anno 1739 prima vice editum, et Anno 1761 correctum et emendatum reimpressum est. Expleto Anno aetatis 85 obiit 13. Maii 1797. Is erat unicus adhuc ex discipulis celebri *Kreidler* Jenae, qui ambo artem in Italia didicerunt, eam ad certa principia reducerunt, et in certum sistema transformerunt.

*Kleist Franciscus Augustus*. Celebris et facundus Poeta, natus 24. Decembris 1759. Erat primum Locumtenens penes legionem borussicam peditum Ducis Brunsvicensis; sed Anno 1790 militiae valedicens, Göttingae litteris vacabat. Eodem hoc anno nominatus Legationis Secretarius Regis Borussiae, modo Berolini, modo in bonis suis Francofurti ad Oderam commorabatur; obiit Ringenvaldae in Marchia nova 13. Julii 1797. Praeter quaedam carmina in Ephemeridibus, plura ejus opera poetica nota sunt.

*Pecunia, et iterum pecunia.*

Quaeritur, quorsum paecunia devenerit; quae in claustris, ecclesiis, palatiis, aulis, et regnis fuit? Ego respondeo interrogando: Quorsum devenerunt thesauri Sesostis, Croesi, Cyri, et Nabuchodonosoris; ac signanter Salomonis, qui plus quam 20 billionum in cassa sua habuit? Quorsum aurum, et argentum, et pretiosa Magni Mogolis devenerant? Singulare est, quod nationes, quae plurimas pecunias possident, etiam plurima debita habeant, ut Hollandia, et Anglia. Hic spiritus ad contrahenda debita pronus, occasionem olim dabit quaestioni: Quorsum devenerint pecuniae Anglorum. Divitiae, aurum, et argentum vagentur in orbe, sicut scientiae, artes, commercium et anseres agrestes. Sed divitiae terrae sunt aeternae.

Hodie bene posset cum Salomone dici: Nihil esse novi sub sole. Cum nos sub sole, et mense martio sub nivibus, quae hodie mane cadunt, habitemus, possunt omnes Ephemeridum scriptores lamentationem Jeremiae cantare. — Circa sterilitatem productorum politicoꝝum. Sed, non ita tamen; terra politica non est sterilis; jam germinat semen pacis chronopolitanae; ergo exspectanda est messis, ergo usque maturitatem nihil novi. Modo floret, utinam grando non devastet. — Necdum constat officiose, copias gallicas Borussia excessisse; necdum expeditio in Indiam orientalem per Persiam nota; adhuc res inter Russiam, et Ottomaniam quiescent in armistitio; Necdum vult Anglia ad pacem inclinare; Adhuc obnititur Svecia, ad dimidiam peninsulae suae Scandinaviae restricta contra omnes Continentis potentias, conjuncta Angliae contra nisus totius Europae quoram scopus est, praedominium Angliae mercantile praecipitandi; et adhuc multa superanda restant — adhuc nihil superatum. Quanta exspectatio messis politicae. —

Parisiis est actu vivus *Orang-Outang*, seu simia, quae ad hominem proxime accedit; Capta in Insula Borneo, inde missa ad Insulam Franciae, et sic successive Parisios. Est sexus foeminini, et ultra naturales simiarum proprietates, habet etiam quasdam consuetudines muliebres. Siquis cubile intret, tegit faciem extremitatibus vestitus sui, seque pudicam fingit, quemadmodum puellae rusticanae faciunt; sed mox iterum aperit vultum cum solatio. Amat praeceteris rappas, et qui eidem tales ferunt; Dormit in lecto, et se tegit more hominum. Aspectus ejus est ingratus, sed mores gratiosi. Foeminam servientem jam nunc colore incipit. Jam nunc loqui docetur. De hac specie animalium Philosophi plus, quam naturalistae scripserunt. Manus habet similes manibus hominum. Mox docebit eventus, an sententia Philosophorum de hoc animali justa sit.